



v<sup>o</sup> 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.





10

I. N. J. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO IX.

Ex quâ,

De

VERA CHRISTI  
HUMANITATE,

*Præside*

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiate, Profefs. Publico, & ad D. Thomæ  
Ecclesiate;

*Respondente*

M. JOHANNE CHRISTIANO Etshorn/Lipsensi  
Misnico, SS. Theolog. Studiofo.

Die 15. Junii Anni 1648.  
*disputabitur.*

---

LIPSIAE,

Typis HENNINGI COLERI.





INTRODUCTIONS AD LOCOS  
DISPUTATIO  
VERA CHRISTI  
HUMANITAS

JOHANNES BENEDICTUS CARPZOV. SS. Theol.

M. JOHANNES CHRISTIANUS BISHOPPING

LIPSIÆ  
Typis Henrici Cöcheri





Ad Præstantissimum Dn. RESPONDENTEM.

**A**T quantum est, fratrem, cælorum scire Monarcham,  
Cujus ab arbitrio vitaque morsque fluant!  
Et quantum, infractio, est, effari pectore: *presens*  
*Cuncta regit carnis portio viva mea!*  
Hæc dum propugnas, hæc dum defendis, AMICE,  
Quisque sacrat coeptis prospera vota tuis.

M. Theophilus Celerus,  
Concionator Sabbath.

**E**St quoddam in orbe natum ad ærumnas  
(meras,  
Fragile, imbecillum, triste, lamentabile  
Genus animantis. quod sit ex humo satum,  
Hominem vocamus. quicquid infortunii  
Pote cogitari, nomine hoc complectimur.  
Parentis inter ejulatûs, & suos  
Vitam auspiciatur; lachrymas inter trahit;  
Lachrymans relinquit. cumq; nil pejus sciat  
Natura morte, vita tot scaret malis,  
Optanda mors ut, non abominanda, sit.  
Membro cuiq; carnifex morbus datur  
Peculiaris, ita nocere callidus,  
Ut operâ eâdem membra cruciet omnia,  
Unum dolore, reliqua condolentiâ.  
Quis Phalaris, aut Busiris, aut atrox Nero  
Tam sæviit, quam dentis unius dolor?  
Homini nec ipsa, cui favere oportuit,  
Elementa parcunt: ignis æstibus ferox;  
Aër venenis; unda rapido vortice;  
Tellus ferarum perfidissimam omnium  
In hominis hominê nutrit alterius crucem.  
Sed hæc ferenda. Longè adhuc inmanior  
Misericordia restat: ipse se laniat homo,  
Animamq; propriam tot perurit stigmatibus,  
Quot scelera patrat: quoque vulnera hæc  
(minus  
Sentiscit, hóc inenatabilem Styga  
Profundiùs subintrat, æternæ reus  
Mortalitatis. Satius ah multò foret,  
Non esse natum, aut esse natum bestiam!  
Sed hoc faceffat! Homine nil felicius,  
Cui sempiterna pro brevissimis malis  
Bona possidere, si modò libeat, licet.  
Tibi, CHRISTE, gratia, qui Parentis è sinu,  
Ut nos redimeres, exiens circumdari  
Nostrate carne non verecundatus es!  
Age, quæ creata gloriam nostræ suam  
Res comparare vel parumper audeat?  
Cœlûmne? Cœlis omnibus sublimior  
Natura nostra Tartari fundum quatit.  
Virtusne Solis? Solibus, centum licet,  
Radiante CHRISTUS capite lumen obstruit.  
Genus Angelorum? TRINITATIS Or-  
(dini  
Non Genius ullus interest, Homo interest,  
Cœlo, Angelis, & Sole majores sumus,  
Uno minores, evehit qui nos, DEO.  
O quicquid hominum vitam in orbe  
(ducimus,  
Hic



Hic gloriemur ! Summa nostra hæc gloria Quo Tu cathedram Præfide , EICHORNI,  
 (est : (premis  
 Quam ne qua nobis aut Manetis impii , aut Sequere hunc Magistrum ! ejus è sermo-  
 Apollinaris taminent deliria, (nibus  
 Studio cavendum est Sacra CARPZOVII Et doctiorem semper & magis pium  
 (manus, Redire certum est, quisquis orantem audit,  
 Quâ pollet arte, pandit hoc mysterium :

M. Jacobus Thomafius, Phil. Fac.  
 & Schol. Senator. Collega.

Ὅτι Θεοσυζέων ἀνδρῶν ψυχοφθόρον ἦχου  
 Γλῶσσαι διηνεκῶς κελადεῖ, γεννήτορος ἦος  
 ὄφρα κεν εἰ βροτέοις ἐν ὁμοπλόκον ἀψέσι κεύθη  
 ἄτρεκέως θεότητα, θεήνορος εὐχος ἀμαυροῦν.  
 ἠγεσίης ἀγανοῖο θεῶ κρατερόφρονι θυμῷ,  
 μαρνάμεν καλῶς, λογοδαίδαλον ἀσπίδα βαίλλαις  
 ἀντιθεοβλαβέων ἐχθρῶν, καὶ μῦθον ἰάλλαις  
 χεῖλεσιν ὀρθονόοις σωσίμβροτον, εὐχος αἰερείς  
 φέρτατον, αἰρεσιῶν αὐτὰρ σπέρμα ἄντρος ἀνδρῶν  
 λοξονόοις διδάχῃσιν εἴς κατὰ κρημνὸν ἰάλλαις  
 ἄισχε κατὰ ἀτλήτῃς, σύγχε μάρνεο, πείθεο φαίδρως,  
 ὀρθοσέβαστος ἀναξ, μεγαλοπρεπές ἀθλόν ὀπάσσει.

Eximio Domino Respondenti, amico per chara  
 benevolentiam testaturus scripsit

M. Abraham Beuchel.

F I N I S.



CAPUT III.  
De Vera CHRISTI Humanitate,  
MEMBRUM I.

*De Ecclesie Doctrina.*

I. *Multum refert rectè agnoscere Humanam in Christo Naturam, Chemn. de duab. nat. p. 12.*

§. AD aternam enim salutem nostram necessarium est, Ut Incarnationem Filii DEI fideliter credamus, inquit Athanasius in Symbolo. Et pertinet Humana Natura ad *Integritatem Christi*, id est, Personæ *ουυθετος*. Ante Incarnationem quidem *perfectissima* Persona fuit Filius DEI, idq; à nemine nostratum, ut quidè Staffordeses in l. suo p. 106. per calumniam fingunt, negatū est: Nunc verò post incarnationē *Persona ουυθετος* est. Et, semper distinguit nostra Ecclesia inter *λόγον Incarnatum* & *ἄσuarκον*, perpetuaque ejus confessio est, ad *ἄσuarκον λόγον* ejusque Personæ integritatem non quidem requiri Humanam Naturam, sed tamen ad *λόγον Incarnatum*, ejusque Personæ integritatem, eam requiri. Vid. Rung. *Disp. II. Col. III. Calvinian. th. 14 p. 28.*

§. 3. *Due* autem *causæ* sunt, propter quas Filius DEI assumpsit humanam naturam, (1.) ut eam ab ira DEI ac morte æterna *redimeret ac liberaret*. (2.) ut, quia peccatō corrupta est nostra natura, eam in seipso primū *repararet ac restitueret*, ac inde omnis sanatio, sanctificatio ac restitutio ad nostram derivaretur, *Chem. in l. de duab. nat. c. III. p. 19. 4.*

II. Humana in Christo Natura est *Vera ac Naturalis*, & non putativa aut phantastica, *Chemnit. in l. cis p. 165. & in l. de duab. nat. c. III. p. 12.*

§. Probatur (1.) ex *appellationibus* toties in Scriptura repetitis, quoties Christus vocatur *Semen mulieris*, *Abrahe*, *Isaaci*,

A

Et c. Et.

*Disput. IX.  
Respondent.  
M. Johanne  
Christiano  
Eichhorn/  
Lipstensi  
Misnico.*





Et. Filius hominis, Filius Davidis, &c. in *Locis* p. 166. (2.) ex opere Incarnationis, Ebr. II. 14. 16. in *Loc.* pag. 165. (3.) ex phantasmatis remotione ac refutatione, *Matth.* XIV. 27. *Marc.* VI. 50. *Luc.* XXIV. 39. in *Locis* p. 171. in *l. de duab. nat.* p. 134. (4.) ex opere redemptionis, quo miseriae nostrae subvenit, & in quo verum sanguinem effudit. In *l. de duab. nat.* p. 13. b. in *Locis* p. 171.

III. Non tantum Vera est haec natura, sed etiam ejusdem cum nostra carne substantiae ac *ὁμοῦ* nobis. *Chemn. in l. de duab. nat.* p. 15, b. seqq.

§. 1. *ὁμοῦ* non Numerica ut in divina natura, sed Specifica intelligitur, per quam omnia cum natura non Adami tantum antelapsam, sed etiam nostra in praesenti, communia eidemque aequalia habet, quantum ad ipsam naturam in se spectatam attinet, Vid. *Gerhard. in Exeges.* §. 94. p. 1213. 1214.

§. 2. Probatur (1.) ex manifesta speciei determinatione, vocatur semen Abrahae, *Gen.* X. II. 18. *Gal.* III. 16. Ebr. II. 16. Filius Abrahami & Davidis, *Matth.* I. 1. Fructus ventris Davidis, *Psalms.* CXXXII. 11. Fructus lumborum ejus, *Aet.* II. 30. (2.) ex Incarnatione ipsa. Non enim in utero Mariae tantum assumpsit Filius DEI carnem, *Matth.* I. 18. 23. *Luc.* I. 31. sed etiam ex Maria, *Luc.* I. 35. ita ut fructus ventris ejus, v. 42. appelletur. Hinc natus ex semine Davidis esse dicitur, *Rom.* I. 3. ex Patribus, *Rom.* IX. 5. ex muliere, *Gal.* IV. 4. vid. *Irenaeus l. III. c. 32. f. 192.* ubi integrum caput habet adversus eos qui dicunt, Filium DEI nihil accepisse de Maria. (3.) ex Opere Redemptionis *Τὸ ἀπεῶσθαι τὸν εἰς ἡμᾶς πῦρον*, Nazianzeni regula est à tota Antiquitate recepta, *Chemn. l. de duab. nat.* p. 19. b. & *Damasceni, Chemn. in Loc.* p. 177. Omnino certum est, totum redemptionis beneficium pertinere ad illam naturam quae assumpta est. Si aliud corpus accepit, quid ad meum, quod salute indiget? Si autem carnem à caelis adduxit, quid ad meam carnem, quae de terra sumpta est? *Amphilochius* bene dixit, citatus à *Theodoro* in *Dialog.* II f. 929.

IV. Natura humana in Christo etiam Perfecta ac Integra est, constans Anima & Corpore.

§. 1. De



§. 1. De corpore, carne, sanguine, ossibus & reliquis, quæ ad corpoream humanæ naturæ substantiam pertinent, tam multa & manifesta sunt testimonia, ut nec *Arriani*, nec *Apollinaristæ* ea vel negare, vel eludere potuerint, inquit *Chemnit. de duab. nat. p. 18. a.* Hoc corpus propriis suæ naturæ terminis circumscibitur, & in se semper finitum est ac manet, quinimò suis dimensionibus longitudine, latitudine & profunditate circumscribi potest ac locabile est, *in sese*, quamvis per & propter unionem personalem subsistat in *λόγω*, & actu nunc non locetur.

§. 2. De *Anima* non tantum in genere extant testimonia, *Matth. II. 28. XX. 28. Job. X. 15.* Sed etiam in specie *Rationalem* arguit *sapientia*, quæ crevit, *Luc. II. 52. Voluntas*, *Job. V. 30. VI. 35. Matth. XXVI. 39. tristitia & turbatio*, *Johan. XII. 27. Matth. XXVI. 38.*

§. 3. Insuper integritatē humanæ in Christo naturæ, probat appellatio *Hominis*, quod argumentum *Nazianzeni* est; Et *Redemptio*. Nec enim pars tantum nostræ naturæ, sed tota & integra fuit liberata, *Chemn. in Loc. p. 177. & in l. de duab. natur. p. 19. a. b.*

V. Sicut verò humana natura quoad essentiam nostræ *ὁμοίος* fuit; ita quoad *infirmitates naturales ac inculpabiles*, nostræ fuit *ὁμοίος & similis*, *Chemn. l. de duab. nat. p. 20.*

§. 1. Notanter *Naturales ac Inculpabiles* vocamus infirmitates illas, & præterito Verbo utimur. Uti enim per prius *Infirmities*, ita per posterius *Status* Christi distinguimus; *Chemn. l. de duabus Nat. p. 21. b.*

§. 2. Nimirum dantur quædam *Infirmities personales* in Natura humana, quæ vel à principio generante & *δυνάμει πλαστικῇ* pendent, ut *Epilepsia, &c.* vel à causa particulari, ut morbi sunt, *febris, podagra, &c.* vel ex particulari *DEI* iudicio, ut *lepra Usie regis, &c.* Et præterea in *Naturalibus* quædam *culpabiles ac vitiosæ* sunt, ut *ignorantia privativa, propensio ad malum, difficultas ad*



*tas ad bonum, &c.* Omnes hasce excludimus hic, & non nisi *Naturales* intelligimus quæ omnibus hominibus naturaliter & per naturam competunt ac in se *culpabiles* non sunt, sed potius *pœnales*, ut *Scholastici* loquuntur, v. g. algere, sitire, dolere, esurire, æstuarè, &c. quibus ut pœnis nostra natura propter peccatum premitur, *Chemn. l. de duab. nat. p. 20. a.* Hinc dicitur tentatus esse *natura nostra* *ἡμεῖς ἀμαρτάνοις*, *Ebr. IV. 15.* ubi non intelligitur *Tentatio Interna*, quæ ex nobis oritur & ex perversa nostra concupiscentia est, quando pravitas nostra habitualis subinde vitiosos motus in nobis excitat, de quo *Jac. I. 13 14.* sed *Externa*, quæ fit à *Satana* à *immediatè* & non mediante carne nostrâ. Nimirum per omnia fuit tentatus Christus, h. e. omne genus miseriarum sustinuit & expertus est, quæ quidem toti generi humano communes sunt, ut famem, sitim, fatigationem, naturalem horrorem, mortis: & quidem non tantum, sed etiam ad peccatum, ut illud admitteret, sollicitatus fuit à *Satana* proponente illi varias illicitas tum temeritatis, tum superbiæ, tum avaritiæ, *Matth. IV.* eas tamen tentationes sustinuit absq; peccato, ita, ut non tantum non duceretur ab extra ad peccatum, sed etiam non afficeretur aliquo motu concupiscentiæ, cujus pravitas in Christo non fuit.

§. 3. Hæ tamen Infirmitates non *necessitate* naturæ in Christo fuerunt, sed *liberè ab eo assumptæ*, ut fieret victima pro peccatis nostris, *Chemn. lib. de duab. nat. p. 20. b. & in Loc. p. 174* & quidem ad tempus tantum & in *Statu exinanitionis*. Nunc verò & in *Statu exaltationis* easdem iterum deposuit.

§. 4. *Infirmitates* has *assumptas* probat (1.) *Emphatica Incarnationis descriptio* apud Johannem *Joh. I. 14.* *Scriptum* propter *infirmitates* has, verba *Chemnitii* sunt de *duab. nat. p. 20. b.* non tantum dicit: *Deum factum esse hominem, sed Verbum, inquit, caro factum est: ut ostendat, Christum etiam infirmitates, quibus natura nostra onerata est, assumpsisse sine vitio.* Appellatione enim *carnis infirmitates* illas significari notum est. Quibus non pollicem premit *Photinians*, qui vocem *carnis* pro fragilitate positam hic esse volunt. Aliud enim est *carnem sumere pro fragilitate & infirmitate: aliud cum fragilitate eandem sumere: Aliud est signifi-*  
carnem



care, aliud *consignificare* infirmitatem. Posterius hoc dixit ac voluit *Chemnitius*, non verò prius. (2.) ex *Evangelistarum* attestatione, qui luculenter ostendunt & circumstantialiter exponunt, quomodo *esuriverit*, *Matth. IV. 2. c. XXI. 19. Marc. XI. 13. sitiverit, Job. XIX. 29. ederit ac biberit, Marc. XIV. 18. 25. fatigatus fuerit, Job. IV. 6 lacrymatus, Luc. XIX. 41. Job. XI.* quos item dolores juxta vaticinium *Esaie c. LIII. 4.* senserit non in corpore modo sed etiam in *animâ*: Quomodo mortem horruit, & ad ejus adventum trepidavit, postquam naturale est timere mortem: *Cœpit λυπῶσαι, ἐνταυβῆσαι, ἀθροονεῖν, Matth. XXV. 37. globos sanguinis sudavit, Luc. XXII. 44.* Quæ omnia *Irenæus l. III. c. 32. f. 193.* allegat, & ex eo veritatem humanæ naturæ in Christo probat. *H. c. omnia, inquit, signa carnis, quæ à terra sumta est, quam in se recapitulatus est suum plasma salvans.* Quæ verò *Emphasis* sit horum verborum, & quantum pondus fuerit, quod Christo incubuit, tantisque veros & non simulatos expresserit, eleganter explicat *Chemnit. de duab. nat. p. 21. & in Loc. p. 180. 181. D. Dorscheus in Synopsi Theol. Zachar. Diss. VII p. 197. seqq. X. p. 291. & seqq.* (3.) ex opere redemptionis. *Disputatio enim de simulatis & putativis doloribus in Christo negat verum ἀντίλυτρον & veram satisfactionem & ipsam deniq; redemptionem veram esse negat, scribit Chemnit. & latius explicat de duab. nat. p. 21. & in Loc. p. 181.*

VI. Et hanc humanam naturam Filius DEI sicuti in unione assumpsit, ita & *semper* eam retinet in unitate personæ suæ nunquam deponendam, *in l. de duab. nat. p. 21.*

§. Probatur (1.) ex Christi *resurrectione, ascensione & reditu ad iudicium*, qui actus in humana natura vel jam facti sunt, vel adhuc futuri, *Luc. XXIV. Act. I. Apoc. I. 1. Thessal. IV.* (2.) ex ejus officii *mediatorii perpetuitate*, quod in humana natura ad dexteram Patris præstat, *Ebr. VII.* (3.) ex nostri *glorificatione*, quâ corpori suo gloriâ nos conformes reddet, *Phil. III. vid.*



154.  
III. Vid. Gerbard. in *Disp. de Resurrect. Christi* th. 35. T. 2. *Disp.* p. 1504. seqq. Brochmand. *de Servat. nostro* J. C. Sect. XVI. q. III. pag. 947. Petri Paschalis *Responsio ad Epistolam Lub. Sociniani* Lugd. Batav. 1638.

## MEMBRUM II.

De

### *Certaminibus.*

I. Varia Ecclesiae fuerunt *Certamina* cum hæreticis super vera Humanitate Christi, quæ omninò annotari debent, Chemn. in *Loc.* p. 167. in *lib. de duab. nat.* p. 12. b.

II. *Quinq;* autem *Ordines* sunt illorum, qui Ecclesiam circa hoc doctrinæ caput exercuerunt.

§. Vel enim *Veritatem* naturæ humanæ in Christo impugnarunt, vel *Consubstantialitatem*, vel *Integritatem*, vel *Infirmi-  
tatem*, vel *Durationem*.

III. *Primus* Ordo est illorum, qui dixerunt, Christum non veram & naturalem carnem assumisse, sed saltem in *specie* ac *phantasmate* apparuisse, & visum quidem fuisse habere carnem, sed tamen non habuisse. in *l. de duab. nat.* p. 12. in *Loc.* p. 170.

§. 1. Ita statim post Apostolorum tempora quosdam docuisse ex *Ignatio* constat, qui sæpiùs contra τὸ δὸν εἶναι καὶ τὴν δὸν εἶναι disputat, Chemn. in *l. de duab. nat.* pag. all. De *Basilide* id referunt



ferunt, *Tertullian. in l. de praescript. advers. haeres. c. XLVI. f. 214. Epiphan. Tom. II. haer. XXIV. f. 58. de Cerdone & Marcione Tertull. l. all. c. LI. f. 217. in Tertio autem seculo renovasse id Manem Persam, & sectatores ejus Manichaeos, testatur Theodoret. l. I. haeres. fabul. f. 968. & Augustinus Tom. VI. Opp. l. de haesib. ad Quod vult Deum f. 23.*

§. 2. Pugnarunt illi (1.) *Argumentis*: (2.) *deinde certis Scripturae dictis*. *Argumenta* petierunt (1.) *ab inconvenientia*, & quod indigna sit copulatio Humanæ Naturæ, Majestate Divinâ: (2.) *ab apparitione Filii DEI in V. T.* (3.) *ab Angelis specie & formâ humanâ saltem apparentibus, non verò ipsam naturam assumptibus*. Ex *Scriptura* autem adduxerunt illa *Dicta*, in quibus *Filius DEI* dicitur missus in *similitudine carnis peccati*, *Rom. II. 3.* & in *similitudine hominis* *ἐν ὁμοιωματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ ἁμαρτίαν ἐπέθετο ὡς ἀνθρώπος*, *Phil. II. 7.*

§. 3. Omnia autem hæc ita comparata sunt, ut neminem facile turbare possint. Nam *argumenta* quod attinet, in (1.) *perversâ audaciâ* *Mysterium Incarnationis ad regulas nostrarum cogitationum* reducitur, *Chemn. de duab. nat. p. 13. in Loc. p. 170.* In (2.) *confunduntur tempus V. T.* quod tempus umbrarum fuit, *cum N. T. tempore*, *Chemn. de duab. nat. cap. III. p. 14. & cap. V. pag. 29. b. cap. VII. pag. 48. a. & b.* In (3.) *ab apparitione Angelorum ad incarnationem Filii DEI ineptè concluditur*. *Chemn. de duab. nat. p. 14. in Loc. p. 170.*

§. 4. *Dicta* verò allegata non desiderant acutum disputatorem, sed *attentum lectorem* ita censente *Augustino*. Circa *prius ex Rom. II. 3. allegatum*, committunt *Fallaciam Compositionis ac Divisionis*. *Ὅμοιωμα* enim non ad *Carnem*, ut illi quidem putarunt, sed ad *Determinationem Carnis sc. peccatū* pertinet, & tantum *Qualitas Accidentaria* humanæ naturæ ibi Christi describitur, quæ est, infirmitatibus talibus esse conspicuum, qualibus obnoxii sunt homines peccatores, *Chemn. de duab. nat. p. 14. seqq. in Locis p. 173. 174.* In *posteriori* non nisi *Ἰουδαίων* suam *produnt*. Non enim de ipsa *Natura Humana*, sed de *Statu Exinanitionis*



*nitio*nis Christi istud loquitur, quem describit *Apostolus* (1.) per *Evacuationem* Majestatis Divinæ v. 6. (2.) per *certos actus*, quod se gesserit ut servus, in similitudine hominum, non promiscuè omnium, sed speciatim ita dictorum, *vulgarium* ac *plebejorum*, qui in sacris *Viris* opponuntur; & *quædam* id est, moribus & conversatione cum hominibus, durante *Exinanitionis* Statu, fuerit inventus ut alius homo, edit, bibit, &c. Scopus itaque *Apostoli* est, ostendere non qualis Christus quoad *substantiam* fuerit, sed quoad *Conditionem* *Humane* *Nature*, durante *exinanitionis* statu. *Chemn. l. de duab. nat. pag. 14. seq. in Locis p. 172.*

IV. *Secundus* Ordo est *ἐπιπρωτων*, qui videntes in phantasma *Naturam* *Humanam* Christi transformari non posse, negarunt, nobis *consubstantialem* illam fuisse, sed dixerunt *è cælo* secum eam attulisse, & non *ex* sed *in* *Maria* assumfisse, *Chemnit. c. III. pag. 15. a. seqq. in Locis p. 167.*

§. 1. Hoc dogmate *primum* *seculum* *Valentinus* turbavit, eo nomine notatus ab *Ireneo*, *l. I. c. I f. 13.* & *Tertulliano* *l. de præscript. c. XLIX. f. 216.* cujus vestigia pressit *Apelles* *Discipulus* *Marcionis*, ut *Tertull. l. all. c. LI. f. 217.* *Theodoret. l. 1. de hæret. fab. f. 967.* & *August. l. 1. de hæresibus f. 16. 17. Tom. VI. Opp.* id attestantur. *Nostrâ* *tempestate* *Anabaptistæ* *idem* *commenti* *sunt*, inquit *Chemnit. l. de duab. nat. p. 15. b.* Videantur plures apud *Gerhard* *in Exeges. §. 88. p. 1208. seqq.*

§. 2. *Fundamenta*, quibus hoc suum dogma voluerunt stabilire, constituerunt partim in illis *Scripturæ* *dictis*, quæ *Christum* *de cælo* esse, contestantur, *Johan. III. 13. VI. 62. 1. Cor. XV. 47.* partim in *argumentis*, (1.) ab *inconvenienti*, (2.) à *naturæ* *nostræ* *imperfectiōe* sumtis.

§. 3. Sed & hæc omnia suo robore destituuntur. *Quantum*



tum enim ad dicta allegata attinet, omnia illa nō ipsam *Naturam* in suis *causis* ac *principiis* propriis exprimunt, sed saltem *Statum* exponunt, ad quem per *Unionem personalem* illa pervenit, & indicant *Majestatem Infinitam* nomine *Cæli* denotatam, Christoque secundum carnem in *Unione personali* communicatam. Atque ita non docent, *qualis* *Natura Humana* in se sit, sed *quid* ista *Natura* in Christo acceperit per *Unionem personalem*.

§. 4. *Argumenta* verò nihil concludunt, dum iterum in primo fit *περι Βασίς εἰς ἄλλο καὶ ἄλλο γένος*, & ex cogitationibus nostris judicatur de mysteriis in Scriptura expressis, *Chemn. p. 17. & in Loc. p. 168. 169.* In altero ipsa *Natura* cum ejus *Accidente*, quæ tamen distincta sunt, confunditur. Ut enim humanæ nostræ naturæ à nativitate suâ, nunc post lapsum inhæreat peccatum, tamen *Accidens* istud est ac manet, à quo purgavit Spiritus S. massam illam, quam assumpsit Filius DEI, sicuti & nos aliquando ab eo per glorificationem liberabimur. *Chemn. p. 17. b. & in Loc. p. 169.*

V. *Tertium* Ordinem complent, qui *Naturam Humanam* in Christo *Animâ* privarunt, *Chemn. p. 17. b. & in Locis p. 175.*

§. 1. Fecerunt id in quarto seculo *Arriani*, & prorsus inanimem, ac sine anima carnem Christi fuisse, dixerunt, sicut ex *Athanasio* ac *Cyrillo* *Chemnit. de duab. nat. p. 17. b.* refert, & *Theodoretus* etiam l. IV. de *hæret. fab. f. 375.* & *Dial. II. f. 911.* id *Ario* tribuit.

§. 2. Occasione autem *Disputationis* cum *Ario* institutæ (ita *Chemn. in Loc. notavit pag. 175.* *Centuriatores* autem *Magdeb. Centur. IV. f. 899.* *ambitioni* id tribuunt.) *Apollinaris* *Episcopus Laodiceæ in Syria*, *Vir magnæ eruditionis & autoritatis*, cujus lapsum *Epiphanius* non sine gemitu describit, ex parte saltem negare hoc cœpit, & concedendo animam *vegetativam*, *Rationalem* Christum assumpsisse negavit: *Theodo-*

B

notus



retus l. IV. heret. fabul. f. 978. & Dial. II. fol. 913. Augustin. l. de  
 heresib. ad Quod vult Deum f. 25. Tom. VI. Opp.

§. 3. In Argumentis suis provocavit tum ad *Scriptu-  
 ram*, quæ Carnis tantum in hoc mysterio faciat mentionem  
*Job. I. 14. Col. I. 22. Ebr. V. 7. Rom. I. 3.* tum ad ipsam *Unionem  
 Personalem*, quæ duas naturas intelligentes individuas re-  
 spuat.

§. 4. Semper autem (1.) remissus fuit ad *Synech-  
 dochen* in voce carnis latentem, quæ Caro totam naturam hu-  
 manam significat, præsertim apud *Ebraos*, unde & aliis in lo-  
 cis per hominem & filium hominis exponatur, *Chemn. pag.  
 19. b. & Loc. p. 176.* Et (2.) ostensum, non esse impossibile,  
 Ut duæ naturæ intelligentes individuae in *Unione Personali*  
 concurrant & unam personam faciant. Aliud enim esse  
*Naturam Individuam Intelligentem*; Aliud *Naturam Indi-  
 viduam intelligentem per se subsistentem*; prius de humana  
 natura concedi, non verò posterius. *Humanitas enim Chri-  
 sti*, inquit *Chemn. in Loc. p. 186.* nullò unquam tempore habuit  
*subsistentiam per se, sed in principio conceptionis assumpta est à Di-  
 vinitate personaliter, ita ut si possibile esset, ut posset discerni à  
 λόγῳ, non posset manere & subsistere, sed redigeretur in nihilum.*

VI. *Quartus hæreticorum Ordo naturæ  
 infirmitates sustulit, & negavit, tempore exina-  
 nitionis Christum illis verè fuisse subjectum,*  
*Chemnit. p. 19. b. 20. a. in Locis p. 177. seqq.*

§. 1. Non tantum *Manichæi* putativè & non verè Chri-  
 stum mortuum fuisse docuerunt, sed & multis *doctis & piis  
 viris* indignum fuit visum, personam Filii Dei tot infirmitati-  
 bus & passionibus subjici, *ἀδυνασῆν*, ad mortem trepidare,  
 sanguinem sudare. Unde varias Expositiones quæsiverunt,  
 ne tam ingentem consternationem Christo tribuere ipsos o-  
 porteret. *Chemn. p. 20. a. b. & in Locis p. 178.*

§. 2. Hi-



§. 2. *Hilarius l. X. de Trinit. f. 146. & seqq.* omnem dolorem in Christo abfuisse late disputat, & f. 150. similitudine teli per aquam vel ignem transeuntis, suam sententiam illustrat.

§. 3. Sed præter hoc, quod *Hilarius* piè hoc retractaverit, sicut *Bonaventura l. III. Dist. XVI. q. 1. art. 1. Resp. ad l. ex Guilielmo Parisiensi* refert, nos propter fundamenta *membr. I. Theor. V. §. 4.* adducta, firmiter credimus, Christum non tantùm veros dolores sensisse, sed multò majores, quàm ulla humana mens cogitatione suâ assequi, aut nos angustiâ animi nostri comprehendere possimus. *Chemn. p. 20. b. in Loc. 181.*

§. 4. Neq; obstat aut *Carnis Christi puritas ac innocentia:* aut *plenitudo Divinitatis* in ea: Nam quod prius attinet, ut ut peccata in hærentia in sese non habuerit Christus, quorum poenæ sunt dolores isti, tamen super se imposita, sibi imputata & ita in se derivata, ea habuit, *Ps. LXIX. 21. XL. 3. 2. Cor. V. 21. Esa. LIII. 6.* Quoad posterius verò dicendum est, fuisse tunc tempus *Exinanitionis*, quo Divinitas quiescebat, & potentiam atque gloriam suam non exerebat. *Chemnit. in Loc. p. 180.*

§. 5. Quæ de sudore sanguineo disputat *Chemnit. p. 21. a. & in Loc. p. 179. & 180.* non ita accipienda sunt, quasi negaret ille, præter & supra naturæ ordinem, sudorem hunc emisisse Christum, sed disputat saltem contra illos, qui talia miracula hinc fingunt, ut nihil dolori ac angustiis relinquât. Ostendit autem, omninò sudorem hunc doloribus immensis ac supernaturalibus esse deputandum, & ipsam Christi animam iræ divinæ, maledictionis infernalis & cruciatuum spiritualium sensu ita affectam & oneratam fuisse, ut per motus suos horribiles expulerit tandem præter & contra communem naturæ ordinem in optimè temperato sanòq; corpore sanguinem, qui ex frigiditate aëris in grumos decurrit in terram. Hanc esse mentem *Chemnitii* luculenter ostendit eo ipso, quando subjicit *p. 21. & in Loc. p. 180.* has physicas considerationes non esse aspernandas. Deducere enim nos si non ad plenam cognitionem, ad quam nemcunque tamen & piam considerationem agonis Christi. &c. V.



&c. V. Gerbard. Harm. pass. c. II. p. 66. seqq. D. Dorscheus part. I. Theolog. Zachar. p. 327. & seqq.

VII. *Quintus Ordo Naturæ Humanæ in Christo hostium, ejus Durationem impugnavit Chemn. p. 21. b.*

§. 1. Et quidem non uno modo. Velenim in *Unione Humanam Naturam à Divina absorptam fuisse dixerunt, ut Eutyches fecit, de quo Theodoret, Dial. II f. 922. Vel in Resurrectione & post absolutum Redemptionis Opus eam deposuisse, docuerunt, quod Apelles & Origenes disputarunt: Vel in Ascensione suâ reliquisse statuerunt, quod Tertull. in l. de Carne Christi refert, & Damasc. illis tribuit qui *Χερισματα* fuerunt appellati.*

§. 2. Omnes autem hi refutantur (1.) ex Christi *Apparitione post resurrectionem, quâ corpore vero apparuit Luc. XXIV. 39. (2.) ex visibili ascensione ac reditu ad judicium, Act. I. 11. Job. XIX. 37. Apoc. I. 7. (3.) ex Visibili ejus Conversatione in æternâ vitâ, 1. Thess. IV. 17. Apoc. XXI. 22. (4.) ex Officii Sacerdotalis, quantum ad Intercessionem attinet, perpetuâ duratione, Ebr. VII. 25. (5.) ex nostrâ glorificatione, quâ corpori suo glorificato nos conformes est redditurus, Phil. III. 19.*

§. 3. Telum, quò pugnarunt ex *1. Cor. XV. 28. planè inerme est & merâ *ψευδερμηνεία* laborat, ac prolixi in explicando ac vindicando hóc textû sunt, D. Calovius in Exam. L. Crellii de Uno Deo Patre p. 1245. & seqq. & D. König. in Centur. I. Vindicar. Sacrar. Disp. IX. Loc. XXIX. Non autem ULLA vestigia mutationis Naturarum in Christo hîc deprehendere licet, sed quam ex omnibus amplectimur sententiis, agitur inibi de Christo quidem, verùm non absolute sed quat. cum Ecclesia Unum Corpus constituit, & quat. in membris suis in extremo die integrè & perfectè subjicietur, ut Deus sit omnia in omnibus, & nihil ampliùs defuturum, nihil obfuturum sit Christianis, quæ explicatio est Patrum, Chrysostomi, Nysseni, Nazianzeni, Cyrilli, & præ cæteris à B. Gerbaro T. ultimo L. Theol.*

§. 62. p. 856. approbatur.






AB 42  $\frac{3}{i,9}$


VO 17












B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



10

AD LOCOS

ii,

IX.

RISTI  
ATE,

PZOVV SS. Theol.

ad D, Thomæ

O Eichhorn/Lipfensi  
udiofo.

48.

OLERI.

